

D. CHRIST. AVG. CRYSII
COMMENTATIO
DE
ECCLESIA
REPRAESENTATIVA
IN LOCVM EIVS,
QVAE BIBLICE DICITVR,
NON SVRROGANDA.

PROPOSITA LIPSIAE
DIE REFORMATIONIS EVANGELICAE
MEMORIALI

D. XXXI. OCTOBR. A. N. C. MDCCCLVIII.

a. XXIII. 24

V. Cl. Dr. M. Kretschmaro,
Cruciani Dresd. Rektori celeb.
S. P. D.
A.

Coll. diss. A
23, 24



Solenne est iis, qui Romanum Pontificem sequuntur, Ecclesiae auctoritatem allegare, semperque in ore habere. A qua quoniam defecisse ipsis videmur, non modo traducimur tanquam haeretici, quae vox magnam apud eos vim habet, etsi apud nostrates passim iusto plus in contemptum abiit, et multis habetur iocularis, verum etiam ius sibi putant esse semperque manere, nos tanquam Ecclesiae rebelles legitimae potestati, videlicet sibi ipsis, vindicandi. In quo eos Ecclesiae nomine reuera abuti, verboque alienam significationem subiicere, quae neque in sacris literis occurrit, neque rei, cuius causa quaeritur, accommodata est, breuissime iam explicabimus. Quamquam enim cum clero Romano super hac re inutiliter disputatur, nostra tamen interest, providere, ne nostri homines ipsorum laqueis capiantur. Neque etiam dubitamus, inter ipsos Romanenses, si qui has pagellas inspiciant, fore, qui aequabilitet ferant, opiniones, quas ipsi tenent, quia iis innutriti sunt, sub examen eiusmodi vocari, quod nihil habeat suspicionis.

Ordiamur ab Ecclesiae nomine et notione. Norunt omnes, qui libros sacros euoluunt, Ecclesiam congregationem populi notare. Nihil sanctitatis verbum per se habet. Nam de gentilium politicis conuentibus pariter vsurpatur, Act. XIX. 32. 39. 40. respondet autem Ebraeorum קהל et עדה. Ad vsum sacrum translatum in nouo testamento significat populum Dei, quatenus per Euangelium ad fidei in Christum communitatem et salutis spem aduocatur Act. II. 39. Hi sunt Israhel Dei Gal. VI. 16. seu Israhel spiritualis, in quo obtinetur et impletur consilium, cuius causa olim Israhelitae ex omnibus terrarum gentibus selecti et populus Dei populusque peculii Ex. XIX. 5. dicti sunt. Nam in Christo et Christi causa omnis ista electio facta est Eph. I. 11. ea lege, vt ad Israhelitas Christus mitteretur, sed salus per illum omnibus gentibus destinata esset, quotquot obedientia Euangelii ad promissionem Israhel nunc impletam se perducere paterentur, ita quidem vt ex Israhelitis et gentibus sine vlllo amplius discrimine sanctus Dei populus, vnumque Christi corpus mysticum, coalesceret Ephes. II. 14. 18. IV. 4. 6. Quia autem in verbo Ecclesiae multitudinis hominum et congregationis notio spectatur, adhibetur tum de vniuersa populi Christi multitudine, tum de singulis coetibus, veluti Gal. I. 2. Apoc. I. 4. etc.

Crederet igitur Euangelio, eoque digne viuere, ille est scopus Dei, cuius causa verbum suum praedicari curauit. In quocumque hoc est, is Ecclesiae verae est membrum. Enimuero bonum istud gradatim et particulatim in hominibus obtinetur, institutione, exercitatione, precatione, exem-



exemplis et admonitione, et quae sunt reliqua. Vt possit obtineri, nulla re magis opus est, quam doctrina vsuque verbi diuini. In coetu igitur, qui Christi nomen et doctrinam profitetur, varii generis homines reperiri necesse est, rudiores, peritiores, immorigeros, excitatos ad pietatem, vere conuersos debiliores, firmiores et prouectiores, simulatores, lapsos, surgentes. Infantes etiam Christianorum, ratione nondum vtentes, quoniam educandi ius et officium parentibus pro patria potestate competit, pars Ecclesiae sunt, praesertim baptizati, sed et ante baptismum. Coetus eiusmodi, quia in sensus incurrit, Ecclesia visibilis dicitur. Promissionibus autem Euangelii actu solummodo potiuntur, in quibus viua in Christum fides est, quique in ea permanent. Hi igitur populum Dei vere constituunt, sed soli Deo animos peruidenti cogniti sunt. Quamobrem quia denumerari a nemine possunt, Ecclesia inuisibilis in terra vocari solent; quod, cui non cauillari lubeat, nemini in mentem veniet sic interpretari, ac si ecclesia nusquam gentium reperienda diceretur, sed sentiet de populo Dei vero et strictè appellando accipi, quemadmodum quod vere vel apparenter quidquam est, alibi quoque discernimus. Nam, vt hoc vtar, qui de hominibus doctis in aliqua terra quaereret, distingueret sane externam reipublicae literariae faciem a numero vere doctorum, sentiretque, non omnes esse doctos, quibus nomen et dignitatem literatorum denegare ciuilitate non licet, contra doctos esse aliquos, quibus ne nomen quidem tribuatur, numerum autem vere eruditorum a nemine iniri posse, discerneret igitur eruditorum numerum, qui notis externis censetur, a multitudine doctorum inuisibili, hoc est non enumerabili. Caeterum ab illa, quae oculis cernitur, Ecclesia membra aequiuoce sic dicenda separari nec plerumque possunt, nec etiam debent, quorum alterum limitatio intelligentiae facultatisque humanae prohibet, alterum etiam aequitas et natura Euangelii. Opera enim danda est, vt, qui nondum sunt veri Christiani, emendentur, tandemque maturescant.

Edisseruntur in Scriptura S. tum officia Ecclesiae, tum promissiones de bonis maximis illi decretis. Ex priori genere sunt, quod debet esse vna, hoc est concordiae et caritatis studiosissima, veritatis cupida et tenax, sancta. Ad alterum genus pertinent quidem etiam promissiones de Ecclesiae late propaganda, et contra hostes defendenda, ideoque de temporali prosperitate, quas tamen nunc mittimus, hoc vnico notato, quod aduersa non minus quam prospera Ecclesiae fata in sacris literis praenotantur. Quemadmodum ipse Christus Dominus per passiones ad gloriam introiuit, sic eadem via, eodem ordine ad gloriam ducuntur, qui Christi sunt. Quaeuis promissio, quae ab hostibus vindictam, de oppugnatoribus victoriam, post

IV

nubila serenitatem pollicetur, includit tristia fata, quae deinceps feliciora sequuntur. Aliquando Euangelium ab omnibus omnino gentibus recipi et teneri, necesse est, quod hucusque necdum factum est, nec secundum seriem praedictionum fieri potuit, sed suo tempore implebitur. Sed ne nimis multa simul tractanda suscipiamus, nolumus nunc ea, quae ad temporalem Ecclesiae prosperitatem pertinent, attingere.

Summa Ecclesiae bona sunt, quae dicimus spiritualia, quoniam a Spiritu S. omnia tribuuntur, nec non quia ex usu biblico vox *spiritus*, quippe Deum ipsum vel angelos Dei respiciens, longe excellentius quiddam, validius et efficacius notare solet, quam sunt res mundanae. Proxime sequuntur bona futuri seculi aeterna, non modo infinitate sua Christianis venerabilia, sed ob hoc potissimum, quod homini peccatori ad illa aditus non datur, nisi vnicus ille per Filium Dei Vnigenitum. De utroque genere palam est, eos demum, in quibus sint virtutes illae et spes illa, populo Dei vere accenseri posse. Solet autem vtrumque bonorum genus, vtpote sua natura nexum, nec diuellendum, frequenter coniunctim repraesentari, vt quando tum scopus tum effectus redemptionis Christi in eo ponitur, quod Christus semet ipsum pro Ecclesia dedit, vt eam sanctificaret, atque in sui ipsius nominis gloriam sisteret gloriae plenam, talemque efficeret, quae nihil haberet maculae, nihil dedecoris, verum omnino sancta sit et reprehensione carens, Ephes. V. 26. 27. Scilicet tale tantumque opus est, quod Christus suscepit et praestabit, ex quo consequitur, vt teneamur totos nos illi dedere, omniaque vitia diligentissime cauere, tum vt prompti ad hoc simus, quippe beneficentia Christi, qua maior ne mentem quidem concipi potest, excitati. Omnia eiusmodi dicta ad singulos pertinent, qui per Christum saluantur. De Ecclesia igitur valent, quatenus ex iis haec constat, quae etiam stricte tunc sumenda est. Vt saluari possimus, acquisitum est morte Christi expiatoria; vt eius beneficii participes reddamur, fit Spiritu Sancto; sequitur suo tempore liberatio ab omni malo, eiusque libertatis plena possessio, ἀπολύτρωσις τῆς περιποιήσεως Ephes. I. coll. 7. 13. 14. Sic de vna Ecclesiae parte et regione, de militante in terris, ad alteram transitur, triumphantem in coelis Ebr. XII. 23, donec ciuitas Dei omnes suos filios congregatos habens et aeternum retinens in sua gloria compareat Gal. IV. 26. Apoc. XXI. 10.

In gerendis vero rebus, quae ad integram societatem pertinent, notum est, societati etiam tribui, quod ab his, qui eius nomine agunt, eiusque personam in tantum sustinent, peragitur. Contingit autem variis modis, vt pauci plurium nomine agant, veluti quando ab his mandata acceperunt,

runt,

runt, vel quod illi nobilissima, aut certe ad negotium aptissima societatis pars sunt, attamen communibus commodis prospici decet ab his, qui vel soli vel optime prospicere queunt, nec non quando imperium, vel alius quisquam specialior titulus, certis societatis membris ius tribuit reliquorum nomine agendi. Itaque etiam, qui Ecclesiae res curant, quoniam eius nomine agunt; quatenus vel ex mandato Ecclesiae commissa faciunt, vel certe quoad ex consensu praesumitur, eos rem ex mente Ecclesiae gerere, vel ratio adest, cur res ita geri debuit, eatenus spectantur ut Ecclesia, quaeque in tali negotio peragunt, Ecclesiae tribuuntur, ipsimet autem vocari solent *Ecclesia repraesentatiua*. Patet igitur, doctores praecipue ad repraesentandam Ecclesiam aptos esse, sed et alia eius membra, in quibus ob peritiam, vel munera, praecipue imperandi ius, insignis auctoritas est, certo modo et loco Ecclesiae personam sustinere posse. Attamen ratio, cur hoc ita sit, diligenter etiam atque etiam attendenda est, ne ultra rationem ius repraesentandi extendatur, quod ne in minutis quidem negotiis licet. Item qui dicuntur Ecclesiam repraesentare, vel particularis Ecclesiae personam sustinent, vel vniuersae, certe creduntur sustinere.

Exinde molesta verbi ambiguitas nata est, postquam ii, quibus aliqua ex parte creditum fuerat, Ecclesiae nomine consultare et decernere, auctoritatem suam ultra statos limites dilatarunt, nec non postquam modo incuria modo calliditate accidit, ut, quae de Ecclesia in sacris literis docentur, et de congregatione sanctorum, qui vere credunt et obediunt, vnice agunt, non modo ad visibiles illos externos Christianorum coetus, verum etiam ad homines, qui eos repraesentare putantur, improvide applicata sint. Accedit dictorum ad alienos sensus detorsio, sophismata perperam ex iis colligendi, denique violentia hierarchiae, quae nomen Ecclesiae sibi sumpsit. Operae igitur pretium est, quantum ea in re peccetur, paulo accuratius exponere.

Quod ut fieri queat, praemittamus axiomata quaedam, ad naturam verae religionis in genere spectantia, ut facilius intelligatur, ubi, qui Ecclesiae nomine superbiunt, sibi arrogent forsitan, quod ne quidem in eorum personam cadere possit. Sunt igitur eiusmodi:

I. *Non datur imperium in verum et falsum.* Veritas nec arbitrio nec imperio humano subiecta, sed ab utroque independens est, ita ut nullius auctoritate fieri possit, ut verum euadat, quod non per se verum est. In religione autem veritas spectatur. Exercitium religionis externum, eiusque ordo et modus, eorum, qui praesunt, voluntati subest, neutiquam doctri-

nae veritas. Atque in ipsis externis ordinationibus, quod iuste et prudenter fit, secundum veritatis regulas, non ad arbitrium, iudicandum est.

II. *Quoties rei virtus et efficacia tribuitur*, quae ex sua natura ipsi non inest, sed quam ex Dei decreto et operatione habere oportet: toties ex Dei verbo et promissione accurate probari necesse est, Deum decreuisse his conditionibus certo modo operari, idque significasse. Nam quidquid ad gignendum effectum sua natura aptum non est, attamen ordinis gratia obseruari debet, recteque obseruatum ad obtinendam rem reuera confert, (terminis scholasticis diceres, quod non est medium causatum, sed ordinis) id omnem suam efficaciam ab eius voluntate ducit, qui his conditionibus agit. Itaque si rei cuiquam diuina tribuitur efficacia, id aliter verum non est, nisi ex decreto Dei, nec agnosci potest, vt verum, nisi patefacta et cognita Dei voluntate. Veluti de Baptismo quae credimus, verbo Dei nituntur, quae de vnctionis, aquae lustralis, signi crucis virtute dicuntur, verbum Dei requirunt, antequam credi possunt. Quae de vi verbi Dei in mentibus hominum illuminandis et confirmandis statuimus, deducuntur partim ex morali vi doctrinae, quae ex rerum propositarum mentisque humanae indole nequaquam obscura est, partim expresso Dei testimonio nituntur, quod dona gratiae Spiritus sancti ipsius, operantis per suum verbum, promittit.

III. *Verum vero non repugnat*; per principium repugnantiae. Fieri igitur non potest, vt aliquid diuinum sit, quod verbo Dei iam cognito, riteque probato, repugnat; neque qui posterius hoc agnoscit, et negare non audet, pro diuino etiam venditare potest, quod huic aduersum tenet. Idem esto iudicium de placitis rectae rationi aduersis, dummodo haec euidencia sint satisque explorata, nec non de historia et rebus gestis, videlicet vt a Deo profectum non possit esse id, quod vsquam veritati certo cognitae, siue rectae rationis axiomatibus, siue experientiae et historiae fide dignae, contrarium est. A Romanensibus quidem de traditione in genere multa disputantur, captiose magis quam accurate, veluti quod Ecclesia aliquando fuit sine scripto Dei verbo, quod olim multa oretenus tamquam diuina praedicata et credita sunt, quod omnes res ad religionem pertinentes certae quidem illae esse debeant verbo diuino, sed verbum Dei ipsum in literas non vsquequaque relatum esse oporteat, sed recte dispescatur in scriptum et non scriptum. Quae sane omnia ad rem non pertinent. Quidquid de traditione in genere existimetur, nihil proficiet, quando res cum verbo diuino pugnantes, eoque verbo, cuius diuinitatem ipsimet confitentur, traditione defendunt Ecclesiae commissa. At vero eiusmodi sunt vniuersa

uerfa illa, de quibus dissensio est. Non ignorantur modo a Scriptura S. sed illi etiam aduersantur. Praeterea vera traditio historicè tamen firma esse debet, tamquam traditio. Sed earum rerum, quas, quoniam verbo Dei scripto nequeunt, tuentur praetextu non scripti, nimirum traditionis Ecclesiae inde ab apostolica aetate, multo alia origo constat, historia teste. *)

IV. *Scopus Dei principalis*, quem in mundi creatione sibi proposuit, et praesenti mundo praefixit, *firmus stat et immutabilis, nec tollitur Euangelio, sed obtinetur*. Est vero in eo positus, ut creaturae rationis participes moraliter agant, Deique voluntatem non coacte perficiant, quod ubi praestant, ad propiorem cum Deo coniunctionem aeternamque felicitatem pertingunt, sin minus, iustitiam Dei suo exemplo illustrent. Hic mundi finis principalis semper idem manet. Varia esse possunt, quae a nobis Deus fieri velit, siue libere imperando, siue necessitati et miseriae humanae prouidendo. Sed quidquid praecipiat, inconcussa stant haec duo, ut nostrum sit, voluntatem Dei perficere, utque voluntarie, nec coacte, eam faciamus. Inde postquam per peccatum res humanae eo deductae sunt, ut non iustitia propria, sed gratia Christi saluemur, non tamen obtruditur fides, sed voluntaria esse debet. Rursus quoniam corruptionis humanae tanta vis est, ut conuersio animi et fides non nisi per Spiritum S. effici possit, necessarium tamen est, homines non malitiose resistere, sed motibus gratiae obtemperare, acceptisque viribus uti, et in mediorum moralium usu, nempe in verbo Dei, in precatione et virtutis exercitatione, diligenter versari. Igitur sic quoque integrum manet illud, ut voluntati Dei non coacte obsequamur.

Ex quo amplius consequens est, ut admittere gratiam Dei vel repudiare hominibus permissum sit, suo ipsorum vel bono vel periculo, donec Christus iudex mundi compareat. Hominum igitur est, ut se inuicem doctrina et argumentis ad veram religionem perducere satagant. Nec cogi possunt conscientiae, nec debent. Frequentior erit bonorum Christianorum prouentus, quando plures simul viuunt, qui veritatem suscipiunt, Deoque obediunt. Ut extrinsecus etiam Ecclesia floreat, plus requiritur, idque rursus diuinae prouidentiae est subiectum, quae singulas hominum generationes accuratissime praeuidit et ordinauit, omnesque rerum euentus sapienter ita coaptat, ut, quidquid vnoquoque tempore accidit, hominibus tunc viuentibus conuenienter cadat, et bene congruat cum statu et indole

*) Vtinam hac de re diligentius legerentur incomparabiles libri, MART. CHEMNITII *examen concilii Tridentini*, et ERN. SAL. CYPRIANI *Belehrung vom Pabstthum*.

VIII

indole mentis eorum, quam solus Deus perspectam habet. Nihil igitur in causa religionis per vim fieri debet, quod qui tentant, non conuertunt homines, sed demonstrant, se scopum mundi principalem et religionis naturam ignorare. Principes quidem, vti reliqua reipublicae iura, sic quoque religionem recte defendunt. Sed primum cautione opus est, ne suo iure abutantur, et in iudicanda vel religione, vel defensionis via et ratione, ipsi met errent, crimineque aduersus Deum se obstringant. Deinde hoc non ita capiendum est, ac si ad religionem quemquam cogere iis liceret, sed vt suo satisfaciant officio, et iura ciuium circa religionem tueantur. At vero qui Ecclesiae formam eiusmodi mente fingunt, in qua vnitas fidei vel vi vel inscitia obtineatur, vt nolentes ad professionem cogantur, et facultas rem explorandi et diiudicandi sublatis libris, ex quibus integrum ferri iudicium queat, subtrahatur, is magnopere fallitur, et scopo Dei principali reluctatur. Ea enim lege nati sumus, vt ad cognitionem Dei et obtemperacionem voluntati diuinae nos voluntaria diligentia conferamus, quod quidem adeo verum est, vt ne in summa quidem subsidiorum vbertate boni habitus subito et veluti per saltum existant, sed omnia procedant gradatim, nec dona gratiae vberiora obtingant, nisi debito vsu gradus minoris.

V. *Vera Ecclesia est, quae veram habet religionem, docet nempe et exercet, et quatenus habet, sed vt verae Ecclesiae verum membrum quisquam sit, praeterea opus est, vt verae religioni recte obediat.* Scilicet non peruertendus est ordo rerum. Non religio est per Ecclesiam, sed Ecclesia per tenentes veram religionem, quemadmodum non milites existunt per exercitum, sed exercitus per milites. Neque dicas, ordinem cognoscendi non semper sequi naturae ordinem, vt, quod natura primum est, primo etiam loco cognoscatur. Non negamus, hoc ita esse, sed huc pertinere negamus. Nam de Ecclesia in genere haec ipsa est prima notio, vt sit multitudo hominum eandem colentium religionem, quae igitur vera Deoque placens est Ecclesia, si vera eius religio est. Non iam quaeritur, annon veram accipiat religionem, qui a vera Ecclesia recte instruatur, quod nemo dubitat, verum id anquiritur: vnde quaerenti veram religionem constare possit, quod eam reperiat? Id vero argumentorum euidencia effici debet, siue distincte enumerentur, siue vis eorum mente et sensu percipiatur. Ablegando vero eum ad veram Ecclesiam nihil proficeretur; peteretur enim, quod in quaestione est, nec Ecclesiae veritas citius intelligi potest, quam veritas religionis. Veram quoque mathesin docemur a veris mathematicis. Ecquis autem dogmatum mathematicorum veritatem non argumentis censet, sed

sed

sed eorum auctoritate, qui nomen mathematicorum sibi sumssissent? At, ais, sic cuiusque priuati iudicium Ecclesiae praefertur. Neutiquam, sed intelligentia priuati formatur perspiciendis rationibus, ab ipsius tamen mente perspiciendis. At falli potest. Caueat igitur, ne fallatur, errabit enim suo periculo. Nec sperni volumus Ecclesiae auctoritatem, sed recte intelligi. Docere sane debet, sed habere etiam, vnde doceat. Planum igitur faciat, esse hoc Dei verbum, quod in sacris literis habemus, et confirmet ex illo, quae pro diuinis haberi debent. Sic veram se demonstrabit esse Ecclesiam, quoniam veritatem docet et sequitur.

Iam redeamus, vnde diuertimus, et consideremus, quam dolose Romanenses verbo nomineque Ecclesiae abutantur. *Ecclesiam iactantes semper fere in animo habent Ecclesiam, quam vocant, repraesentatiuam.* Eam quidem rursus diuersimode explicant. Qui impudentissimi sunt, Papae Romano hoc tribuunt, vt, quod praecipiat ille, sancitum ab Ecclesia dicatur. Modestiores Ecclesiam repraesentari putant per Concilia, praecipue Oecumenica ambitiose dicta, cuiusmodi vt sint, quidam requirunt auctoritatem Papae, vt Praesidis et decreta confirmantis, qua etiam carere possunt secundum alios, qui Papam subesse Concilio, et ab hoc iudicari debere, verbis et re testati sunt. At vero istam verbi Ecclesiae significationem sacrae literae simpliciter ignorant, quippe quae per Ecclesiam semper coetum Christiani populi ipsum intelligunt. *) Ex quo consequitur, vt omnia Scripturae dicta,

*) IO. CASP. SVICERVS in thesauro ecclesiast. e Patribus Graecis, Tom. I. p. 1051. putat Ecclesiam Matth. XVIII. 17. 18. pro solis Pastoribus et Presbyteris accipi debere, dum dicitur: *Ἐπὲ τῇ ἐκκλησίᾳ, dic Ecclesiae*, quod sit interprete Chrysostomo Homil. LX. in Matth. *τοῖς προεδρεύουσι praesidentibus.* Et Theophylactus ad istum locum, dicit intelligi *τὰς τῆς ἐκκλησίας προέδρους, Ecclesiae praesides.* Verum enimvero etsi, qui ad Ecclesiam aliquid referunt, id eius Praesidibus proponunt et committunt, non tamen ideo Praesides ipsi statim Ecclesia dicuntur. Ne conficitur quidem exinde, vt tamquam Ecclesia repraesentatiua spectentur, quamdiu non aliunde constat, eos suo arbitratu decernere, et quod fecerint, ab Ecclesia factum censerit. Potius apertum est, de publica rei ad coetum relatione dici, vt peccator testium sibi que indignantium multitudine commoueat. Referunt igitur rem quidem ad Ecclesiam, qui huic praesunt, et Praesidibus causam commendat, qui aliquid publice proponi cupit, sed tamen vox *Ecclesia* non Praesides notat, sed ipsum coetum, non exclusis Praesidibus, sed inclusis. Vbi res ad Regem referenda est, an ideo Ministri vel Collegia, ad quos acceditur, Rex dicuntur, etsi vel ex mandato Regis decernunt, vel causam ad se delatam Regi proponunt? Vel in Democratia, si quid populo proponendum commendatur his, qui ciues conuocant, et res populo explicant, an Magistratus ideo populus dicerentur, si quis cau-

8

dicta, quae pro commendanda Ecclesiae auctoritate adferre solent, iam ea propter nihil queant probare, quod verbo aliam potestatem subiiciunt, quam ex mente dicentis habet. Ex hac confusione semel admissa errorum multitudo progerminat, quorum aliquos posthac notabimus. Nec Scripturae conuenit ista vocis Ecclesiae vsurpatio, nec Ecclesiae, quae biblice dicitur, utilitati.

De muneribus in Ecclesia religionis causa constituendis lex positua diuina non extat. Quid factu opus sit, ex natura et scopo Euangelii, tum ex temporum populorumque ratione ac necessitatibus, iudicari oportet, et reuera

sam habenti consilium daret: dic populo? Hinc quoque caute intelligendum, quod SVICERVS deinceps notat, Ecclesiam sumi porro *pro plebe seu ouibus*, seorsim a Pastoribus consideratis, veluti Act. XX. 28. 2 Tim. III. 5. Nam Pastores non opponuntur Ecclesiae, tamquam extra illam positi, sed tamquam pars parti eiusdem totius. Quotiescunque membrum societatis negotium gerit reliquorum membrorum causa, his contradistinguitur, sed verbum, quo societas appellatur, non nouam nanciscitur significationem. Tamquam Lutherus, quando libros aliquos Germanis inscripsit, annon Nationis Germanicae pars ipse est et manet?

Similiter qui putant 1 Tim. III. 15. Ecclesiam vocari *σύλον καὶ ἐδραίωμα τῆς ἀληθείας*, *columnam et firmamentum veritatis*, tamen id de coetu seu vniuersa multitudine credentium intelligere coguntur, non de Ecclesia quadam repraesentatiua. Nam Timotheus, qui Ecclesiae praeerat, illi contradistinguitur. Ergo non idem ille quoque est Ecclesia, sed ipse est eius pars. Est vero, cur totam illam interpretationem concedere nequeamus. Ecclesia enim spectatur vt domus seu templum Dei, in quo inhabitat. Quomodo igitur confestim mutato schemate etiam columna diceretur? Insignes quidem doctores retenta allegoria commode *σύλοι* vocantur, nempe *σύλοι τῆς ἐκκλησίας*, quod nomen de Iacobo, Petro et Ioanne occurrit Gal. II. 9. Sed vniuersè putamus, Apostolum hoc loco aliud quidpiam in mente habuisse. Nam quomodocunque se vertant interpretes, qui, vt Ecclesiam faciant veritatis columnam, se mirum in modum torquent, et diuersissimas explicandi vias reperiunt, manet profecto inconueniens in sermone Pauli, quod eum dixisse minime probabile est, quamdiu haec verba de Ecclesia accipiuntur. Contra ea planissima sunt omnia, si cum voce *σύλος* nouam pericopam incipias, vt verba *σύλος καὶ ἐδραίωμα τῆς ἀληθείας* construantur cum sequentibus, et doceatur, doctrinam de Christo esse e praecipuis in vera religione, et veluti columnam et firmamentum veritatis esse, suaque euidencia et magnitudine omnium animos percellere. Constat enim, dogmata praecipua et principia apud Iudaeos columnas dictas fuisse. Qua de re nihil amplius addimus, quoniam satis nota, et, quantum iudicamus, inter cordatiores confecta est. Veteres non paucos haec verba sic reuera interpunxisse, probabile est ex locis a SVICERO *Thes. Eccles. T. II. p. 1047.* ex Irenaeo, Chrysostomo et Basilio Seleuciensi allatis. Columnam enim et firmamentum Ecclesiae aiunt esse Euangelium, quod Apostoli praedicarunt, postea in scripturis nobis tradiderunt.

reuera aestimatum est, quamdiu non praeiudicatae opiniones vel dominantium violentia Christianam libertatem iniquis vinculis constrinxerunt. Ne episcopalis quidem Hierarchia a Christo vel Apostolis instituta, sed res libera est, bona illa, si bene administraretur, necessaria neutiquam, Ecclesiae libertati et Christiano magistratui subiecta. Apostolorum tempore Episcopi et Presbyteri idem sunt, et *οἱ ἡγέμενοι* promiscue utroque nomine veniunt Act. XX. 17. 28. *) Hinc plures Episcopi sunt in eadem Ecclesia Phil. I. 1. Discernuntur certo sensu a ministris seu Diaconis, sed et omne munus sacrum *διακονία* seu ministerium Christi in eius Ecclesia dicitur 1 Cor. XII. 5. ipseque Paulus se Ecclesiae Diaconum vocat Col. I. 25. Apostoli plantatis ecclesiis pastores doctoresque publicos praefecerunt, prouti opus fuit et praesto erant idonei homines, vnum vel plures, qui vel, verbo ex moribus Iudaeorum repetito, Seniores, Presbyteri, dicti sunt, vel ex muneris ratione Inspectores, seu Episcopi, pastores, doctores Ephes. IV. 11. E pluribus igitur excelluerunt inter collegas, qui vel meritis, vel aetate superiores erant, vel ab Apostolis cum speciali mandato mittebantur. Atque his quoniam inspectoris nomen singulariter congruit, Timotheus forsan et Titus, quibus Paulus commisit, vt constituerent Presbyteros, iisque praessent, primi omnium sensu eminentiori Episcopi dicti sunt, ita tamen vt Presbyteris quoque omnibus commune nomen maneret, quod profecto liquet ex Tit. I. 5. 7. Phil. I. 1. 2. 1 Pet. V. 1. 2. Ordinatus etiam legitur Timotheus per Presbyteros 1 Tim. IV. 14. sed dona miraculosa Spiritus S. accepit impositione manuum Pauli 2 Tim. I. 6.

Cupiditas autem dominandi et religionem ad lucrum traducendi iam Apostolorum aetate gliscebatur 2 Thess. II. 7. cuius exemplum est Diotrophes 3 Ep. Ioh. v. 9. Quae causa etiam subesse videtur, quod Christus ipse, in dictandis Ioanni epistolis ad septem Ecclesiarum antistites, (etsi liber Apocalypsis ipse non iis, sed Ecclesiis, destinatur et inscribitur,) non tamen Episcopos eos vocat, puto, quod hoc verbo iam multi per fastum abutebantur, sed *ἄγγελος τῆς ἐκκλησίας* Apoc. II. et III. quod respondet Ebraeorum *צביר* et delegatum Ecclesiae notat, qui praebat in precibus publice faciendis et librorum sacrorum curam habebat, et cuius dignitas,

B 2

vbicun-

*) HIERONYMVS: *apud veteres, ait, iidem Episcopi et Presbyteri fuerunt.* Epist. ad Ocean. de secund. nupt. Operum Tomi IV. P. II. p. 648. Edit. Martian. Grauiissimus et copiosus eius locus extat in Commentar. in Epist. ad Titum Cap. I. ad verba *et constituas etc.* (ibid. Tom. IV. P. I. p. 412.) vbi ambitionis et vitandi schismatis causa factum esse, dicit, vt *vnus de Presbyteris electus superponeretur caeteris, ad quem omnis Ecclesiae cura pertineret.* Potior huius loci pars extat in ipso iure Canonico, *Decreti P. I. Distinct. 95. Cap. 5.*

XII

vbicunque erat, (nam non prorsus ordinaria fuit) medium inter Synagogae praefectos et ministros locum tenuit, neque ex hodierno, sed antiquo Iudaeorum more aestimari debet. *) Dignum hoc est, dum loquitur is, qui solus Episcopus animarum dicitur 1 Pet. II. 25. Post Apostolorum decessum praesidentium Presbyterorum seu Episcoporum auctoritas variis de causis creuit, innoxiiis plerisque, certe speciosis, donec Constantinus M. hierarchiam prouinciarum Romani Imperii constitutioni assimilaret, multisque modis ambitioni suppetias ferret. Inde Episcopus Romanus ex vrbs dignitate excellentiam ipse nactus, ea magis magisque abusus est, quod nunc edisserere longum foret. Ne id mere humanis de causis fieri videretur, conquisita sunt, quae titulum sedis Apostolicae, qui maioribus Ecclesiis, quaeque primos Episcopos ab ipsis Apostolis accepisse ferebantur, solebat tribui, Romano Patriarchae inprimis vindicarent, qua in re partes suas habuerunt error, adulatio, ambitio. Hinc Romana sedes cathedra Petri facta est, etsi ex Pauli ad Romanos epistola palam est, Ecclesiam Romanam non ab Apostolo fundatam esse, quapropter Paulus optabat, vt sibi liceret dona quaedam spiritualia Romanis impertire Rom. I. 11. quippe quae Apostolorum stricte dictorum, duodecim illorum Paulique, manibus dabantur, quemadmodum etiam eorum, qui ab his acceperant, decessu conqueuerunt. Praetextus fuit martyrium Petri, quod Romae subiit, quamquam eodem tempore Paulus pariter testimonium de Christo suo sanguine firmavit, de Romana vero Ecclesia magis meritus, eoque nomine apud veteres celebris fuit. Totum illud figmentum de Petro vrbs Romae Episcopo non mediocrem sapit inaduertentiam. Indignum enim est, quemquam ex Apostolis, Orbis Episcopis, Vrbi praeficere. Sed multo inficitius est, quod successores etiam Petro dederunt, quorum principatus causa Apostolorum primus et ipse in eorum Principem commutari debuit, contra planissime dicta a Domino, et sole meridiano clariora Luc. XXII. 26. Oppido ineptum hoc est. Nam nec Apostolus imperauit Apostolo, nec Apostoli stricte dicti successores in speciali suo munere habent. Duodecim viri a Christo constituendae Ecclesiae delecti erant, quod videtur factum esse secundum tribuum Israelis numerum. E quibus quoniam decesserat Iudas proditor, antequam ad negotium accederet; suadente Petro in eius locum sorte surrogatus est Matthias, quod ratum quidem Dominus habuit effusis Spiritus S. donis, veruntamen sic, vt eodem anno etiam decimum tertium

*) v. S. R. D. IO. GOTTLOB CARPZOVII *apparatus antiquitatum sacri codicis et gentis Hebraeae*, pag. 314. LVNDII *Jüdische Heiligthümer* pag. 249. sed potissimum VITRINGA *de Synagoga vetere* Lib. III. P. II. Cap. 2. 3.

tertium Apostolum ipsemet de coelo faceret, et ex furente hoste in Apostolum subito transformaret, fere quemadmodum tribus quoque Israelis numerari tredecim poterant, postquam Leui reliquis exemptus, Ioseph diuisus erat. Sed postea Iacobo ab Herode occiso, an de dato illi successore quidquam legimus?

Quod Roma metropolis Christiani orbis, Romana Ecclesia omnium Magistra esse vult, id nulla sane, ne probabili quidem, causa adferitur. Hierosolyma quidem vere omnium Ecclesiarum mater erat, qua destructa cur caput gentilis Imperii, nihil praecipuum habens, quantum ad Christianismum, excellentiam nactum sit, quam ne Hierosolyma quidem ipsa habebat, quis intelligat? Nolite oculos claudere Christiani! Nulla prorsus ratio est, cur Papa Ecclesiam repraesentare, vel illi imperare debeat. Quin etiamsi iusto cum imperio esset, quod secus esse docuimus, tamen ne tunc quidem, quae de Ecclesia in sacris literis dicuntur, liceret decretis Papae accommodare, tamquam in quo sit Ecclesia repraesentatiua. Nam quae Scriptura de Ecclesia affirmat, ea de populo Christi agunt, nullo modo de repraesentatiua Ecclesia, quae recentius commentum est.

Idem de Conciliis est tenendum. Nam ne his quidem vel nomen vel iura comperunt Ecclesiae, sensu biblico dictae. Quae de Concilio Hierosolymitano vulgo existimantur, primum caute sunt exploranda. Nam quod Antiocheni Hierosolymam miserunt, qui Apostolos et Presbyteros consulerent, vt horum consensu palam facto silentium iis imponeretur, qui Paulo et Barnabae diffidebant, id nondum probat concilium stricte sumtum, quemadmodum vox ecclesiastice vsurpatur. Solebant aliqui Apostoli Hierosolymis agere, etsi non omnes, nec iidem semper. Nam vltro citroque commeabant. Tunc quidem Petrus aderat et Iacobus, quod certum est, et numero plurali sufficit Act. XV. 2. 6. Ecclesiae autem v. 4. Apostoli et Presbyteri contradistinguuntur, ex quo liquet, Ecclesiam pro conuentu populi credentium sumi, vti alioquin fieri solet. Res igitur publice peragebatur, cum frequens Ecclesia conuenisset, cuiusmodi congregationem cui Concilium vocare placet, videat, ne in primitiua Ecclesia plura, quam velit, et singulis fere diebus Dominicis concilia concedere cogatur. Omnes ex diuersis prouinciis Apostolos conuocatos esse, nec relatum legitur, nec per se credibile est. Caeterum non negamus, congregationem illam solito frequentiore fuisse, quod opinari licet ex eius scopo. Nam omnes Christiani erudiri et deciso Apostolorum de re plerisque dubia instrui et confirmari debebant. Congregatio igitur illa Hierosolymitana conciliorum posthac habitorum initium et veluti radix fuit, publicato tamen potius deciso,

XIV

et ad gentes misso, quam conuentus solennitate, ideoque pro primo concilio numeratur, voce paulo laxius accipienda. Perspicuum autem est, in tota illa historia non repraesentantes quosdam dici Ecclesiam, sed ipsum coerum. Omnium, quotquot loqui volebant, dabatur amica collatio. Decisum dedit Spiritus S. per Apostolos, in quo deciso quemadmodum Hierosolymitani omnes, vti par erat, acquiescebant, omnes reliqui pariter illi debebant adstipulari v. 28.

De Conciliorum vero auctoritate aliunde ex Scriptura S. non difficile est iudicare, dummodo animus partium studio ne sit praeoccupatus. Sed id nostri instituti non est. Ex quo Christiani Imperatores erant, Conciliorum non eadem, quae antehac, fuit necessitas. Iam enim complures erant viae controuersiarum discussionem hominibus idoneis committendi, vt, quid de rebus in disceptationem adductis secundum Dei verbum statuendum sit, in lucem produceretur, deinde rixis et scandalis pie et prudenter occurreretur. Placuit tamen Conciliis vti. Quorum aliqua Ecclesiae vtique perquam vtilia fuerunt, sed plerumque res non bene cessit, vt appareat, Concilia nec vnicum prospiciendi Ecclesiae remedium, nec semper optimum fuisse. Vix dubitare licet, quin controuersiae complures per se euanuisissent, nisi Synodis congregatis accidisset, vt dissentientes magis aduersus se inuicem acuerebatur et exacerbarentur. Sed Patriarcharum et Episcoporum ambitioni mirifice inseruierunt. Christianos humanis legibus onerarunt, et a recto tramite mox ita aberrarunt, vt non tam secundum Scripturam S. quam iuxta antecedentium synodorum decreta sententiae ferrentur. Neque hoc vitium duntaxat in praeceptis et constitutionibus, vbi voluntas cernitur, inest, verum in dogmatum quoque examine, vbi de vero et falso vnice quaeritur. Credi enim a multis coeptum est, illos patrum confessus errare non posse. Itaque vera putabantur, quae a Conciliis decreta erant, eo quod decreta ab iis essent, non secus ac si verum et falsum ab humano arbitrio penderent. Plena exemplorum est historia, vbi articuli fidei tractati sunt, quemadmodum Principes statuunt de eo, quod obseruari volunt, non animaduerso, quid intersit inter voluntates et veritates. Abutuntur quidem promissionibus Spiritus S. Ecclesiae datis. Sed hae non Ecclesiae repraesentatiuae datae sunt, sed vere et stricte dictae Ecclesiae, suntque certis conditionibus alligatae, sincero verbi diuini studio, fidei, obedientiae, precationi, eoque modo omnibus Christianis, non solis Clericis, datae sunt, nemini tamen sic, vt nunquam errare possit, multo minus, vt neglecto Dei verbo tamen non erret. Ecquid igitur de eiusmodi confessibus expectare licet, in quibus contra naturam indagandae veritatis, praesertim illius, quae
ad

ad religionem pertinet, suffragandi ius a dignitate pendet, non a doctrina et mentis qualitatibus? Verum et falsum suis notis constanter dignoscitur, quibus uti omnes possumus et debemus. In plurimum vero coniuncto studio, si praesumptio veri certius detecti valere debet, vnicuique illud spectatur, quod plus solent oculi videre, quam oculus. Quapropter requiruntur etiam in vnaquaque re iudices, qui in ea verum videre possint, nec iudicandi destituantur facultate per inscitiam, nec dexteritate per contentionem et mentis passiones. Eorum igitur, quibus in conciliis suffragandi ius vi muneris competit, tametsi theologia et Scripturae S. solida peritia careant, vnde pendeat illa tanta auctoritas? Nam de miraculo Spiritus S. qui forsitan eos ad hunc actum illuminet, nec promissio extat, nec quidquam experientia docet, quae contrarium potius monstrat. Recentiora concilia saepe apertos errores stabiliuerunt, potissimum a seculo XIII. Tridentina autem synodus non modo omnia in deterius dedit, multisque erroribus, antea non ita communibus, auctoritatem dedit, verum etiam, quod maxime dolendum, omnem reconciliandi partes dissidentes spem infregit. Nam nec errasse vnquam Romanam Ecclesiam, nec errare posse, id vero ipsam de controuersis doctrinis disputationem inutilem reddit. Bulla vero Pii V, qua ab eo tempore omnes Romanae Ecclesiae addicti obstringuntur, adeo iniqua est, ut nec optimi inter illos quidquam valeant, sed omnium conscientis iugum terribile et plane intolerabile impositum sit.

Multis quidem hodierna Ecclesia Romana multo melior videtur facta esse, quam fuit ante Reformationem Sacrorum, quae B. Lutheri ministerio contigit, quo potissimum referunt, quod Summi Pontificis potentia, Caesari et Regibus olim formidabilis, valde imminuta est. Neque etiam negamus, Ecclesiam Romanam, dummodo pro coetu, non pro eam repraesentantibus, accipiatur, aliqua ex parte meliorem passim factam esse. Atque hoc ipsi debet Reformationi. Ex eo autem quid consequi possit, animaduertendum est. Cogitari enim oportet, partim pristina principia tamen teneri, nec dimitti posse, ne dictatus quidem Gregorii VII, quos saluos manere, nouo potius argumento constat, quoniam Papa Benedictus XIII. tyrannum illum ante hos triginta annos denuo inter coelites adorari iussit, partim Protestantibus nihil solatii ex eo redundare, si vel maxime forma regiminis hierarchiae Romanae aliquantum mutetur. Nam si Curia potius Romana dominatur, quam Pontifex ipse, potius censendi sumus in periculum maius coniecti esse. De abusibus enim erroribusque Romanensium nihil minuitur, cupiditas toti orbi Christiano imperandi nihil remittit. Sed isto monarchiae ecclesiasticae temperamento, quod nullo iure scripto, sed usurpatione

XVI

patione extitit, efficitur, ut eos, qui cum imperio sunt, et vniuerse politicos, omnesque opulentos, fauentiores habeant. Tanta enim Ecclesiae Romanae opulentia est, ut non modo plebem capiat pompa, et superstitionis ostentatione et auctoritate, sed possideat etiam, vnde splendidissimas familias impertiendis bonis ecclesiasticis sibi deuincire possit. Postquam ergo Principibus Papa non amplius metuendus est, facilius fertur, utpote aliis nominibus utilis. Et multi sunt, praesertim hac nostra aetate, omnium dignitatum homines, qui, etsi animum habent a veri Dei Christique cognitione vacuum et religionis expertem, aliquam tamen vulgo credi et vigere religionem debere opinantur, ut capistrum plebis faucibus iniiciendum. Praeterea prudentiae esse existimatur, in regno non nisi vnam esse religionem. Atqui modica opus est sagacitate ad intelligendum, qui penes Romanenses summis ornati sunt dignitatibus ecclesiasticis, saepenumero ne impulsu quidem errantis conscientiae, sed politica ratione, praesentem Ecclesiae statum defendere. Estne enim credibile, quemquam prudentem Pontificem se falli nescium existimasse, vel talem eum putasse, qui hominis consuetudine vterentur? Vel illi prudentiae politicae magistri, suntne, de quibus suspicari liceat, quod serio ipsis persuasum sit, certis ritibus eiusmodi Spiritum sanctum impertiri et conferri, quo prouidente de religione recte statuant, qui ne theologiae quidem operam dederunt, ut talium suffragia, ob ipsam muneris dignitatem et canonicam Concilii congregationem, plus valere debeant, quam omnia argumenta criticorum, grammaticorum, interpretum, historicorum, denique philosophorum, eorumque demum auctoritate firmum sit, quidquid hi de libris et lectionibus, de vocum significatione, de dictorum sensu, de certarum rerum origine, de veri falsique notis, argumentorum euidentia vincunt et confirmant, sed vim et robur amittat, et contemni mereatur, simulatque Dominis illis, dignitate, non argumentorum pondere, censendis, libeat contrarium decernere? An sanam doctrinam magis poterunt suo effato efficere falsam et noxiam, quam aërem salubrem commutare in pestilentem potuerunt patres Tridentini, cum pro tali eum declararent, ut legati Pontificis praetextum reperirent Concilium Bononiam transferendi? *) Arrigite aures, somnolenti, et quo loco sint res Christianae, serio perpendite! Veritas enim non mutatur ignorance vel negligentia; nec regnum naturae, cuius tamen leges bene nostis impune contemni non posse, si quis viuere et incolumis esse velit, magis constantes regulas seruat, quam Regnum Coelorum, scopus ille, ad quem Deus omnia retulit dirigitque Col. I. 16. 17. Quid ergo?
Qui

*) vid. PAVLI SARPII *historia concilii Tridentini Lib. II. §. 15. p. m. 455.*

Qui sunt sine religione, multo facilius ferunt Clericos, quorum eminentiores non paucos ne id agere quidem intelligant, ut mentis mutationem imperent, vel praescribant, quae intra parietes agere liceat, dummodo solennibus publicis nihil derogetur, quorum vero cum auctoritate ipsorum utilitas et familiarum spes coniuncta sit, quam Theologos Protestantes comprobant, qui rem serio tractant, fidem Euangelio adhibendam, emendationem animi ad exemplar verborum et vitae Iesu Christi postulant, et aliter viuentes arguunt, quod in maximarum rerum turpissima versentur ignorantia, quod flagitiis aduersus Deum se obstringant non minoribus, quam contra rempublicam committunt, qui flagitiosissimi putantur. At hi inuisi homines quid vicissim pollicentur? Nempe bona futuri seculi, quae ne admittunt quidem empactae, Sadducaeis peiores, quorum fertilis est nostra aetas, quibus anima et angelus, coelum et orcus, ipse denique Deus, certe qua sanctus et iudex est, fabula videtur. Igitur profanis mentibus tolerabilior factus est Papatus, ex quo infirmior videtur, et curiae Romanae auctoritate temperatus est. Quare si politicae prudentiae causa alicui religioni patrocinandum est, a Protestantium partibus profani statuti sint, an a Romanensium, non difficile est ad praeuidendum.

Veruntamen hoc neutiquam eam ob causam monemus, ac si nostrae causae diffidentes humanum expeteremus auxilium, ne religio euangelica pereat. Hanc enim non interire posse, ita certum est, uti Scripturae S. quam vnice sequimur, certa est veritas, atque uti Iesus Christus, Dominus noster, ad dexteram Dei sedet, et coelorum terraeque regnum administrat. Atque hoc non generatim modo verum est, sed est etiam, quod specialius, bonoque Germaniae nostrae speremus. Nam inde ab Apostolorum excessu nihil maius, nihil prouidentiam Dei euidentius ostendens, accidit, quam reformatio Lutheri, idemque, qui nobis dedit et restituit suum verbum, Spiritus sanctus, usum eius et fructum conseruabit, quemadmodum hucusque inter perpetuam inuidiam et vltima saepe pericula fecit. Suntque idoneae rationes, cur deserti illius prophetici, ex quo deturbari non potest purior Ecclesia Apoc. XII. 14, omnino Germaniam partem esse, firmiter credamus. Sed monendi sunt ciues nostri, ne Cleri Romani insidiis circumuenti, vocationem suam deserant, et bona fidei longanimae Col. I. 11. Ebr. VI. 12. promissa perdant. Ecquid enim vulgarius est, quam vox ista: ohe, tuta sunt omnia, non est Papa, quod fuit, *μορμολύκειον* est; quasi vero Papam timeremus, nec potius vim errorum, et violentiam, qua verbi diuini et sacramentorum vsus prohibetur et peruertitur, et conscientiae

C

super-

XVIII

superstitionis et humanarum legum iugum obtruditur. Istud vero non decreuit periculum, sed auctum est. Ad superstitionem enim, quae olim vtramque paginam fecit, noua causa accedit, magnificentiae illi et pompae religiosae contra simplicitatem Euangelii Iesu Christi patrocians, profanitas. Etenim tum fanaticum studium nouam sectam condendi, tum conciliandi religiones imperita audacia, tum denique literatorum leuitas et nouarum rerum molimina, nostratium multos sollicitant, vt modestiae praetextu dissensiones de grauissimis rebus extenuent. Iste enim mos, haec indoles est aetatis nostrae, vt in minutiis, ad elegantiam et bellas artes pertinentibus, homines toti sint, et ad excessum seduli, sed Dei causam plerique deferant. Scilicet ad voluptatem omnia referunt, siue corporis illam, quod ignauorum est, siue mentis, quam nemo prudens reprehenderet, dummodo ne res maiores negligenterentur. Facile igitur est, vt, qui seductioni iam per alias causas propiores facti sunt, quouis specioso praetextu decipiantur. Talis vero est illa, de qua diximus, Ecclesiae ostentatio. Semper enim audimus magnifica illa Ecclesiae Catholicae, vetustae, sanctae, vnius, addunt etiam, quod de religione dici debebat, saluifica, encomia. Quae animos eorum percutiunt, qui laudes et promissiones, Ecclesiae in sacris literis tributas, in memoriam reuocantes, non animaduertunt, verbo ludi. Nam quae Romanenses titulo Ecclesiae ostentant, sunt instituta Ecclesiae repraesentatiuae, de qua nihil eiusmodi extat in sacris literis. Dummodo qui repraesentabant Ecclesiam, siue Synodi, siue Patriarcha Romanus, officio, quod ipsis impositum fuit, bene perfundi essent, videlicet si vigilassent, ne quid contra Verbum Dei doceretur, et ne dogmata praeter Scripturam cuderentur, bene quidem de Ecclesia meruissent, attamen sic quoque cum Ecclesia ipsa non confundi deberent. Nunc Ecclesiae dominantur, eiusque nomine tuentur, quae vel male introducta fuerunt, vel a prima sua origine degenerarunt, vel casu et per negligentiam orta ad Clericorum fructum accommodata sunt.

Quae quoniam latius diducere huius loci non est, nec limites programmati ponendi permitterent, prudentes duntaxat breuissime de sequentibus admonemus. Si, quod probauimus hucusque, ne id quidem, quod eorum arbitrio stabilitur, qui personam Ecclesiae publice gerunt, eamque repraesentare dicuntur, ex illis Scripturae S. dictis auctoritatem consequitur, quae virtutes, gloriam, iura Ecclesiae exponunt, propterea quod in sacris literis non de Ecclesia repraesentatiua agitur, sed de proprie dicenda; *multo minus alii errores et abusus exinde patrociniū petere possunt, qui ne*
publica

publica quidem Ecclesiae sic dictae repraesentatiuae auctoritate introducta sunt, attamen nunc, postquam obtinuerunt, ne errasse Ecclesia videatur, eius titulo et praetextu defenduntur. Multa sane, quae originem a Iudaeis ducunt, ab Essenis praecipue, nonnulla a Montanistis profecta, multa ex gentilium moribus refecta, multa quae monachorum inscitiae, vel foemellarum sanctae simplicitati et pietatis anomaliae debentur, non pauca, quae casu orta, quae subtili Scholasticorum disputatione inuenta, quae dictorum biblicorum falsa, saepeque ridicula, interpretatione credita, aliaque, quae a priuatis hominibus errata, excogitata, coniectata sunt, nunc tamquam statuta Ecclesiae, ex eius scrinio pectoris, falli nescii, expromta celebrantur, ex quo vel rei Pontificiae conducere perspecta sunt, vel certe ob hoc satius visum fuit, tenere et tueri omnia, ne, disputatione super quibusdam permissa, dubitantes ulterius progredierentur.

Similiter concidunt vulgati errores de praecipis Ecclesiae, de magistratu ecclesiastico, eiusque peculiari iurisdictione, et puniendi haereticos potestate, de consecrationibus, adiurationibus, vntionibus, innumerisque ritibus, quibus virtus aliqua diuina tribuitur, eaque a Deo per os Ecclesiae, tametsi non per Scripturam, significata. Ecclesiae non est praecipere, sed Dei praeccepta docere & tenere. Atque huc referendum quoque est, quod aliquid praecipere vel vetare audent sub poena peccati mortalis, quasi vero ac si peccatum mortale, quodcumque est, non oportet esse sua natura, per se vel ob patrantis conditionem. Possuntne homines praecipere quidquam sub poena, vt omittentium argentum mutetur in stannum? Facilius igitur efficere poterunt, vt, quod ex se peccatum mortale non est, fiat humano praeccepto? Qui proprie dicitur magistratus ecclesiasticus, reapse politicus ille est, quatenus circa res Ecclesiae occupatur. Reliqua, quae ex iuribus, vt vocant, collegialibus Ecclesiae ducuntur, nempe certas ordinationes facere, vt omnia decore fiant, vtque recte discatur Verbum Dei, eique obtemperetur, magistratum non efficiunt. Hinc vanissima est omnis ista Romanensium de Protestantibus querela, tanquam de rebellibus, qui legitimum magistratum suum ecclesiasticum deseruerint, cuiusmodi non erat is, quem putant. Nec minus est mera ignoratio, qua de re agatur, quando Ecclesiae magisterium Scripturae S. nec non hoc tribuitur, quod illi auctoritatem dederit. Discipula docentis Dei per Verbum suum est Ecclesia, nequaquam magistra. Et discipuli sunt omnes et singuli Christiani, et ita magis proficiunt, vti a rebus necessariis magis instructi sunt, pieque et diligenter in opere versantur, non vti dignitatibus sunt conspicui. Si qui difficiles sunt Scripturae loci, non illi plani redduntur dictatoria sententia, sed sollertia et argumentis, quod vbi non succedit, non vtendum est talibus in probando, sed clarioribus.

Inprimis ineptum est, quod summum illud de caritate Christiana praecceptum ad obedientiam Ecclesiae Romanae praestandam transferunt, vt dicant, nihil esse obedientiam toti Euangelio praestitam sine caritate, consequenter inanem esse Christianismum sine communione cum vera, nempe Romana, Ecclesia. Quomodo enim fratres in Christo esse queunt, qui non veram Christi teneant doctrinam, in qua consentiant? Igitur de doctrinae veritate ante omnia videndum est, quia falsos doctores et cum improbis societatem cauere, atque etiam doctrinam explorare 1 Io. IV. 1. omnes iubemur. Vtique qui ex Deo ipse genitus est, etiam filios Dei amat, in quorumcunque notitiam peruenit, 1 Io. V. 1. 2. quapropter etiam doctrina Verbi

diuini, quippe quo generantur filii Dei Iac. I. 18. multo magis ipsi cara est, quo fit, ut verae Ecclesiae visibili, illi saltem, quam ut puriorem cognitam habet, se adiungat. Attamen non Deus amando Ecclesiam demum amatur mediate, sed quia Deum immediate amamus, sequitur ex eo caritas omnium Dei amantium, quatenus nobis innotescunt. Annon vero multo magis exinde consequi necesse est, ut magni faciamus Verbum Dei et vera Sacramenta, quibus remotis ea, quae relinquuntur, societas non est Ecclesia, certe non vera, sed longe alius indolis sodalitas? At vero si dicendum, quod res est, Pontificii non caritatem Christianam commendant, sed obedientiam Papae et clero Romano praestandam. Ecclesiam nominant Clerici, sed non intelligunt eam, quae Scripturae conuenienter sic dicitur, sed repraesentatiuam, ubique de se ipsis loquentes, se ostentantes. Quando autem in rem suam allegant Scripturae dicta, arripiunt omnia, ubi vel vox Ecclesiae, vel quidquam occurrit ad potestatem Clericorum detorquendum, non animaduertentes, qua de re agatur, quaeque verbis potestas subiecta sit. E contrario Scripturam S. verum piae mentis pabulum, quae legenda ab omnibus est, et legendi imperitis praelegenda i Thess. V. 27, fontem sapientiae et virium, Christiano populo h. e. Ecclesiae eripiunt, interim magnifico Ecclesiae nomine semet ipsos efferentes.

Nos igitur, qui in eadem fuimus aerumna, quibus olim praetextu Ecclesiae omne ferme Ecclesiae Christi decus praeter exiguas reliquias ereptum fuerat, sed quibus Pater misericordiae, fidelis serui sui Martini Lutheri ministerio Ecclesiae normam, Verbum nempe diuinum, atque per illud veram Ecclesiae indolem et naturam restituit, quomodo non tantum beneficium grata mente coleremus? Sapienter itaque pii Principes memoriam reformationis Ecclesiae quotannis publice iusserunt replicari, idque ultimo Octobris die, quo salutaris operis quaecunque initium factum fuit, tenue primum, sed cui Deus successum dedit eiusmodi, quo pii homines etiamnum perhorrescunt, cogitantes, ex quam incredibile periculo feliciter eluctati simus, et illacrymant beneficii magnitudinem pensitantes. Quam ob causam sacra Reformationis Ecclesiae eucharistica consuetudo etiam solennibus in templo academico, futuro die XXXI. Octobr. hora duodecima audita, celebrabimus, in quibus orationem recitabit V. CL. M. IOANNES FRIDERICVS REHKOPF, Lipsiensis, qui e Concionatoribus Vespertinis in ea aede est, Vir, cuius pietas, dotes, eruditio, Academiae et Ecclesiae spem non vulgarem ostendunt, et explicabit, *cur saepius optata ante Lutherum reformatio per concilia non successerit.* Ad quam audiendam ut frequentes conueniant, ILLUSTRISSIMOS COMITES, VTRIVSQUE REIPUBLICAE PROCERES, omnes bonarum literarum Fautores, ciues potissimum Academiae carissimos, humanissime rogamus. P. P. Lipsiae Dom. XXIII. p. F. Trinit. A. N. C. MDCCCLVIII.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIANA.



Coll. diss. A. 23, misc. 24